

servationem: et ideo in nova actus productione est novum exercitium libertatis omnino distinctum: quare mirum non est, quod ex hac parte augeatur valor moralis.

DISPUTATIO VI.

DE BONITATE ACTUS INTERIORIS VOLUNTATIS EX FINE.

Finis quatenus voluntatem movet et excitat, ad objectum voluntatis pertinet: quatenus vero interdum esse solet extra substantiam actus, inter circumstantias numeratur, et ideo postquam de bonitate ex objecto, et circumstantiis dictum est, commode explicanda sequitur bonitas ex fine sumpta, de qua re tractavit D. Thomas 1, 2, quæst. 48, per varios articulos, et quæst. 49, art. 7 et 8, quos omnes in hac disputatione exponemus.

SECTIO I.

Utrum bonus finis sit necessarius ut actus voluntatis sit bonus.

1. *Notatio prima pro resolutione.* — Primo supponendum est duobus modis versari voluntatem circa finem: uno modo propter se: alio modo circa alia propter ipsum: et hoc modo distingui solet in genere duplex motus voluntatis in finem, scilicet intentio et electio, comprehendendo tamen sub intentione simplicem voluntatem et amorem, seu desiderium finis propter se ipsum, et sub electione comprehendendo usum, et quemcumque alium actum, qui versatur circa aliquod objectum propter extrinsecum finem.

2. *Notatio secunda.* — In quo est secundo advertendum duobus modis posse actum voluntatis versari circa aliquid propter finem extrinsecum. Uno modo in intentione diligendo, seu eligendo medium propter finem, ita ut tota ratio, et proximum motivum talis actus sit ipse finis. Secundo modo fieri potest, ut ipse finis solum remote terminet actum, qui refertur in ipsum: ita ut voluntas proxime velit aliquod objectum propter bonitatem intrinsecam illius: et præterea referat illum actum in ulteriorem finem: inter quos actus est differentia: nam in priori licet finis videatur extrinsecus respectu materiæ volitæ, seu medii electi, tamen respectu ipsius voluntatis se habet, ut objectum formale proxime movens ad talem actum: at vero in posteriori actu, finis non est objec-

tum formale, nam supponit aliud motivum formale proximum, sed solum est veluti causa extrinseca movens remote, et applicans voluntatem, et ut brevibus terminis utamur, priorem actum vocabimus semper puram electionem: posteriorem vero vocabimus actum ordinatum ad finem extrinsecum, nam sub hac ratione se habet, ut electio, vel usus, quamvis participet etiam rationem intentionis, quatenus versatur circa aliquod objectum bonum propter se ipsum.

3. *Notatio tertia.* — Ex quo potest tertio adverti interiorem actum voluntatis, de quo solum nunc agimus, interdum esse tantum elicited ab illa, ut est, verbi gratia, prima intentio, seu primus amor finis: interdum vero est simul elicited et imperatus, nam imperatus tantum nullus esse potest in actibus internis, de quibus agimus, sed illud est proprium externorum, nam actus interior voluntatis debet esse elicited ab illa: quia vero sicut voluntas potest velle actus aliarum potentiarum, ita etiam potest velle suos per alios actus distinctos, ideo sicut potest imperare actus eliciedos per alias potentias, ita etiam et eliciedos per se ipsam, et hoc modo potest dari in ipso actus simul elicited et imperatus, qui necessario supponit alium pure elicitedum.

4. *Notatio quarta.* — Unde etiam fit dupliciter posse esse actum voluntatis imperatum ab ipsa scilicet, vel virtualiter tantum, vel etiam formaliter. *Formaliter* voco eum quando actus est directe, et formaliter volitus per alium actum, ut cum volo dolere de peccatis, aut volo amare Deum: *virtualiter* autem cum actus unus excitatur ex vi alterius, quia includit virtutalem voluntatem illius, et hoc modo omnis electio dici valet imperata ab intentione efficaci, quia posita tali intentione ex vi illius applicatur voluntas ad electionem, etiamsi non habeat formaliter hunc actum, volo eligere, quia satis est quod hic actus virtute in intentione efficaci includatur: nam qui intendit finem, vult illum consequi, et consequenter virtute vult applicare media, atque adeo eligere illa, atque hoc modo omnes actus circa finem revocabimus ad eliciedos et imperatos: et eliciedos proprie sunt, qui versantur circa ipsum finem propter se, imperati vero sunt omnes qui versantur circa alia propter finem.

5. *Primum pronuntiatum certum in præsentis questione.* — His positus nonnulla sunt certa in hac questione. Primum erit intentionem finis, ut bona sit, requirere bonum finem eo modo, quo ipsa est propter finem. Hoc constat ex dic-

tis, disput. 4, nam respectu actus, talis finis et objectum coincidunt: sicut ergo, ut actus sit bonus requirit honestum objectum, ita intentio honesta requirit finem honestum, et hoc est habere bonum finem, et esse propter illum, et hanc conclusionem posuit D. Thomas, 1, 2, quæst. 49, art. 7.

6. *Secundum pronuntiatum.* — Secundo est certum, actum puræ electionis, ut bonus sit requirere honestum finem, ut sic, quod etiam sumitur ex D. Thoma, eo loco, et constat eadem ratione, quia respectu talis actus, finis se habet, ut motivum et objectum formale: ergo, ut actus sit bonus ex illo, oportet, ut motivum sit honestum. Confirmatur: quia ille actus ex materiali objecto non habet honestatem, quia supponimus non tendere in illud propter bonitatem, quæ in ipso est, ideo enim est pura electio. Dictum est autem supra, actum non accipere bonitatem ab objecto honesto, nisi tendat in illud propter honestatem ejus: ergo ut talis actus sit bonus, oportet ut saltem ex fine habeat honestatem. Unde confirmatur tandem, quia si finis ille sit malus, actus est malus, si indifferens, saltem ex illo fine non est bonus: ergo ut ipse sit bonus, necesse est habere finem bonum.

7. *Tertium.* — Tertio colligitur hinc, ut certum, quoties actus voluntatis versatur circa objectum indifferens, et ordinat illud in ulteriorem finem, requirere bonum finem, ut bonus sit. Hoc patet, quia non habet aliud caput unde sumat bonitatem: an vero illud sufficiat, postea dicam.

8. *Quartum.* — Quarto est certum, quando actus voluntatis versatur circa objectum, ut honestum, ut simpliciter bonum sit, necessarium esse ut non ordinetur ad malum finem. In hoc etiam omnes conveniunt cum D. Thoma, loco citato, estque communis doctrina Sanctorum, ut videre licet apud Ambrosium, 1, 2, de Jacob, et Vita beata, c. 4, Augustinum, 2, de Moribus Ecclesiæ, c. 13, et præfatione in psal. 31, et lib. de Opere monachorum, c. 26, ubi illa exponit illud Matth. 6: *Attendit ne justitiam vestram faciatis*, etc., et *Lucerna corporis tui est oculus tuus*: ubi nomine oculi intentionem finis intelligit, quod etiam Cassianus præstat, collat. 1, c. 22, quamvis, collat. 2, cap. 2, per *oculum* discretionem intelligat, sic etiam ad hoc propositum exponit Gregorius 4, Moral., cap. 23 et seq., illud Eccles. 1: *Væ peccatori ingredienti terram duabus viis*, et illud psal. 77: *Cor autem eorum non erat rectum cum eo*, de quo videri potest Chrysostomus,

hom. 23, ad Populum: consentit Aristoteles, 2, Ethicorum ad Eudemum, in fine: *Qualis unusquisque est, ex electione judicamus, non quid, sed cujus gratia, fiat expendentes*: idem late 7, Politicorum, cap. 13: *Et is curam appetitus suscipere oportet gratia mentis, et curam corporis gratia animæ*: ratio est illa communis, quia *bonum ex integra causa*. Item quia motio in finem est aliquo modo forma, et dans speciem aliquo modo, et denominationem actui morali, ut infra dicam, omitto nunc tractare, utrum intentio proprii honesti objecti, ut sic, necessario excludat malum finem, nam de hoc occurrit proprius locus, disp. 8.

9. *Quid sit dubium in præsentis questione prima.* — *Opinio.* — His ergo stabilitis solum dubitari potest, utrum actus habens honestum objectum, ut sit bonus simpliciter, requirat finem bonum extrinsecum. Quidem theologi existimant esse necessarium, ut actus præter objectum bonum referatur ab operante ad ultimum finem bonum, sine qua relatione negant actum esse absolute bonum, et quidam ex eis dicunt esse malum. Alii vero neque bonum, neque malum, sed indifferenter: quæ opinio, ut minimum limitanda est ad illos actus, qui habent objectum distinctum ab ipso ultimo fine: nam illi qui versantur circa ipsum ultimum finem, ut proximum objectum, ut amor Dei propter se ipsum, non possunt referri in alium finem, quia nullum possunt habere meliorem, quam suum proprium objectum, et hoc modo tribuitur hæc opinio Scoto, in secundo, distinctione decima quarta, quæst. unica, et in 3, distinctione trigesima septima, questione prima, ubi docet nisi præcedat aliquod bonum velle circa ultimum finem, non posse esse bonum velle circa alia objecta: unde concludit si in pura lege naturæ non teneretur homo aliquando amare Deum absolute, etiam non posse teneri ad bene operandum. Eandem opinionem tenet Gregorius, in 2, d. 18 et 38, Almainus, tractatu 1, Moralium, cap. 2, inclinatur Bonaventura, in 2, d. 44, art. 1, q. 3. Fundamentum sumi potest vel ex illo 1, ad Corinth. 10: *Quæcumque facitis, omnia in gloriam Dei facite*: sicut ergo tenetur homo eligere Deum super omnia: ita tenetur omnia opera sua in eum, ut in ultimum finem referre: ergo actus carens hac relatione, caret circumstantia necessaria ad bonitatem simpliciter. Confirmatur, nam ut actus circa creaturam sit bonus simpliciter, oportet, ut non sit per modum fruitionis, sed per modum usus, juxta doctrinam vulgarem Augustini, de qua

D. Thomas 1, 2, q. 10; ergo necesse est, ut ametur creatura per ordinem ad ultimum finem: nam hoc est illa uti.

10. *Dicta opinio varie accipitur a suis auctoribus.* — Non conveniunt autem hi auctores in explicanda hac relatione, qualis scilicet esse debeat: Gregorius contentus est relatione habituali, quam in hoc ponit, quod ex præcedentibus actibus circa ultimum finem, acquisitus, seu comparatus fit habitus, a quo dicit cæteros actus habitualiter referri, sed, ut recte notavit Almainus, hic habitus impertinens est ad subsequentes actus circa alia objecta, nisi ipse proprium suum actum eliciat, quia alii actus non possunt esse elicit a tali habitu, cum non contineantur sub objecto illius: neque etiam possunt esse imperati: quia habitus non imperat actum nisi mediante proprio actu. Scotus vero solum videtur requirere, quod præcesserit aliquis actus circa ultimum finem, ut patet ex locis citatis: sed, ut infra latius dicam, ex hoc præcise nihil bonitatis communicatur sequentibus actibus, nisi ille prior actus per se, vel per virtutem aliquam influat in posteriores actus, quia alioqui nulla erit dependentia: neque causalitas unius actus ab alio, sed sola temporis successio, quæ impertinens est ad bonitatem actus. Alii vero requirunt, ut saltem in principio ejusque actionis actualiter referatur in ultimum finem, quamvis, in progressu actionis possit tantum virtualiter manere in continuatione ipsius operis; sed quamvis, ut infra dicam, hoc possit sufficere ad virtuales relationem, tamen valde rigorosum est hominibus hanc obligationem in cunctis operibus suis imponere.

11. Dicendum est ergo, ad bonitatem actus voluntatis sufficere honestum objectum, esto ab orante non referatur in ulteriorem finem, ita sentiunt communiter discipuli D. Thomæ, et sumitur ex ipso, in 1, 2, quæst. 19, art. 10, ad primum, dicente: *Quicumque vult aliquid sub ratione quacumque boni honesti, habet voluntatem conformem divinæ in ratione volendi, et ideo bene operatur, et ita explicat doctrinam illius articuli et præcedentis.* Idem D. Bonaventura supra, solum enim requirit relationem in ultimum finem intrinsecam et innatam ipsi operi bono absque alia relatione operantis, nam hoc modo diximus supra, tractatu 1, actus omnes honestos tendere in Deum naturam suam, ut in ultimum suum finem, quæ tendentia non confert actui distinctam bonitatem præter illam, quam sumit ex objecto, nisi forte distinctæ rationis secundum rationem gene-

ricam et specificam, ut potest sumi ex D. Thomæ 1, 2, quæst. 18, art. 7, quem latius infra exponam: hanc etiam sententiam late confirmat Scotus, l. 2, de Natura, c. 20, et lib. 3, cap. 4.

12. *Satisfit contrario fundamento in n. 9.* — Fundamentum est, quod actus habens objectum bonum habet ex illo specificam bonitatem, ut supra probatum est, sed ex carentia ulterioris finis non habet semper malitiam: ergo sine illa relatione manebit actus bonus simpliciter. Probatur consequentia, quia illa res est bona simpliciter, quæ habet omnia sibi debita secundum speciem, et individuum. Unde Scotus non consequenter loquitur concedens actum ex carentia hujus finis non habere malitiam, et negans esse bonum, cum habeat bonum objectum, cum enim dicitur *bonum consurgere ex integra causa*; non est intelligendum ad actum bonum simpliciter necessarium esse omne id, quod conferre valet bonitatem, alioqui non est bonus actus, nisi optimus: requiritur ergo, et sufficit integra causa perfectionis, et bonitatis debitæ speciei, vel in individuo: ergo. Probatur minor propositio, quia nullum extat præceptum obligans hominem ad hujusmodi relationem, vel actualem, vel virtuales ex proprio ipsius hominis actu circa ultimum finem faciendum, nam hoc præceptum non est naturale, nulla enim sufficienti ratione convinci potest. Item satis est homini operari semper juxta rationem rectam circa objecta, quæ illi proponuntur, et plus ab ipso exigere ex præcepto, præsertim naturali, superat humanas vires. Item infidelis, qui verum ignorat, potest aliquando bene operari juxta sanam doctrinam. Item puer veniens ad usum rationis non tenetur statim in primo usu rationis Deum in se ipso diligere, sed in his, quæ ipsi occurrunt bene moraliter se gerere, et hoc ipso virtualiter censetur converti in Deum: nullum ergo est tale præceptum naturale, neque etiam est positivum humanum, aut divinum; neutrum enim ostendi potest, et humanum quidem superaret potestatem humanam, tum quia esset de re difficillima, tum quia esset de re interna, divina autem præcepta positiva nulla sunt, præsertim in lege gratiæ, nisi fidei, et sacramentorum: in citatis autem, n. 9, verbis Pauli, *Omnia in gloriam Dei facite*, vel non habetur præceptum, sed consilium, vel solum præcipitur, ita semper operari, ut omnia opera nata sint cedere in gloriam Dei, et apta, ut referantur in ipsum, atque adeo quod ex se in illum tendant, quod ha-

bent cuncta honesta hoc ipso, quod honesta sunt; et eodem modo tenemur cuncta referre in ultimum finem, et præterea nihil facere, quod non tendat aliquo modo in ipsum.

SECTIO II.

Qualis sit bonitas quam actus puræ electionis habet ex fine honesto.

1. *Prima sententia.* — *Arguitur pro illa primo.* — De actu voluntatis circa finem in se ipso nihil superest dicendum, præter ea, quæ dicta sunt de objecto: nam respectu talis actus finis, et objectum idem sunt, et eadem ratione fere posset omitti præsens quæstio, quia in virtute est in superioribus definita: verum, ut satisfaciamus omnibus, et quædam propria exponamus, tractanda est. Dicunt ergo quidam auctores speciem illam bonitatis, quam sumit pura hæc electio, ex fine non esse essentialem, sed accidentalem illi actui, quo voluntas vult tale medium propter talem finem. Fundamentum hujus sententiæ esse potest primo: in illo actu distinguendum est objectum a fine, nam objectum est intrinsecum actui: finis autem extrinsecus: ergo talis actus aliam speciem habet ab objecto, aliam a fine: ergo illa prior essentialis est, et altera accidentalis: quia, ut diximus superius, non possunt esse duæ species essentielles in eodem actu. Item diximus speciem ex objecto esse essentialem, cujus signum etiam est, quod una est prorsus inseparabilis, altera vero mutari potest.

2. *Secundo.* — Secundo potest videri hoc difficile argumentum, quia quando medium, quod eligitur, est alioqui bonum, et honestum ex objecto, ut quando eligitur eleemosyna ad satisfaciendum pro peccatis, tunc ipsa electio habet primariam speciem ex objecto, ex fine vero accidentariam, ut in dicto exemplo, actus eleemosynæ semper est in specie misericordiæ, quod vero ordinetur ad satisfactionem, aut ad alium finem, est ei accidentarium: ergo idem erit in quocumque medio, esto sit ex objecto indifferens, nam hoc non variat rationem, et modum specificandi.

3. *Tertio.* — Tertio. Sicut medium ordinatur ad finem: ita finis per media comparatur, sed respectu intentionis finis accidentarium est, quod per hæc, aut illa media comparetur: unde quamvis hoc possit variare accidentaliter bonitatem intentionis, non tamen substantialiter: unde si intentio finis sit indifferens, non fiet essentialiter bona, etiamsi per honesta

media quærat: ergo idem est e converso de electione mediolorum respectu finis. Et confirmatur, ac declaratur: nam in voluntate medicinæ aliud est amare medicinam ipsam in se, aliud amare utilitatem ejus ad sanitatem: ergo etiam in actu una ex his rationibus est essentialis, altera accidentalis, nam ex natura rei illa duo distinguuntur, sicut in assensu scientiæ distinguuntur assensus conclusionis ab assensu principiorum propter quæ illi assentimur.

4. *Quarto.* — Quarto. Electio ejusdem finis ex medio ipso habet majorem, vel minorem bonitatem: ergo non totam recipit a fine; ergo nec totam entitatem, quia, ut dictum est, bonitas actus nihil est nisi entitas ejus: ergo illa entitas, quam habet electio ex medio, est prima, et essentialis, in ipsa: altera ergo erit accidentalis. Confirmatur, nam stante eodem fine voluntas eligit hoc medium potius, quam illud, propter proprias conditiones talis medii, scilicet, quia est suavius, aut facilius, etc.; ergo non est finis tota ratio illius electionis, seu voluntatis prout versatur circa tale medium, cum non sit tota ratio illius comparativæ electionis: ergo supponit voluntatem affectam ad rem: quæ est medium, et solum movet ad ordinationem ejus in talem finem: est ergo illius specificatio accidentalis, qualis autem sit hæc accidentalis species explicatur uno e tribus modis, disp. 4, tractatis de objecto. Primus est, quod voluntas illius rei, quæ est medium, entitas sit quædam partialis, cui adjungitur altera, qua voluntas amat relationem illius objecti in talem finem, quæ dicitur accidentaliter advenire alteri, quia illi adesse potest, et abesse, nam voluntas potest nunc velle hanc relationem in hunc finem, ut postea dicam, manente eadem voluntate circa rem, quæ est medium. Secundus modus est, quod voluntas medii in se sit quidam actus voluntatis, bonitas vero ex fine desumpta, sit modus quidam extrinsecus ejus. Tertius, quod illa bonitas et specificatio ex fine solum sit determinatio extrinseca, et ratio quædam moralis.

5. Dicendum tamen actum puræ electionis, ut sic habere primam suam, et substantialem et physicam speciem ex fine; unde si finis ille honestus sit, et propter illum quatenus talis est, proxima intentione eligatur medium, prima bonitas talis electionis est ex fine, et illa est intrinseca, et essentialis tali electioni, atque adeo invariabilis in tali actu. Hæc sententia, ut existimo est expressa D. Thomæ 1,

2, quæst. 18, art. 6, ubi solutione ad 2, ait, licet ordinari ad talem finem accidat exteriori actui, non accidit interiori actui voluntatis, qui comparatur ad exteriorem, sicut formale ad materiale, et solutione ad 3, dicit, quamvis in actibus externis sit diversitas specifica, in interiori non esse, si illi sub eodem fine amantur, et 1 contra Gentes, cap. 76, ratione prima, dicit finem comparari ad medium, sicut rationem formali objecti ad materialem, et ideo unam esse tendentiam voluntatis, quia idem est actus in objectum, et in rationem formalem ejus, quam doctrinam sæpe repetit, applicando illam ad finem, et medium, ut sic, ut videre licet in q. 12, art. 4, et q. 2, de malo, art. 2; præsertim ad 4 et 5, et in 2, d. 38, quæst. 1, art. 4, ad 1, denique in eadem 1, 2, quæst. 19, art. 2, ad 1, dicit actum voluntatis nunquam habere accidentalem speciem a fine, nisi quatenus finis ordinatur ad finem, et intentio ad intentionem: ergo quatenus medium ut medium ordinatur ad finem, et pura electio est, sub hac intentione non habet accidentalem speciem a fine, sed essentialem.

6. Atque ex his locis D. Thomæ sumo duas præcipuas rationes hujus veritatis. Prima est: actus voluntatis nullam speciem sumit ab objecto, nisi sub aliqua ratione boni, ut supra late ostensum est, aut ergo amat voluntas rem illam, quæ est medium, solum sub ea ratione boni quæ est in fine, aut sub aliqua alia, quæ est in ipso medio: si dicas primum: ergo ille actus solum habet unam speciem sumptam ex bonitate finis: ergo illa necessario erit essentialis, quia etiam ostensum est necessariam esse aliquam specificationem essentialem cuilibet entitati: ergo ubi non est nisi una, erit essentialis. Si vero dicas secundum, jam non illa est pura electio, de qua tractamus, sed est quædam particularis intentio extrinsecus ordinata ad ulteriorem finem, de qua postea dicitur sumus. Probatur consequentia, quia secundum eam rationem, secundum quam res, quæ amatur, non amatur ob bonitatem finis, sed ob aliam, quæ in ipsa est, jam non amatur ob aliud, sed propter se: ergo, ut sic, amatur ut finis proximus, non est ergo illa pura electio. Dices amari propter utilitatem ad finem, quæ in ipso medio, est aliquid distinctum a bonitate finis; quod patet, nam utilitas medicinæ ad sanitatem amari valet sive sanitas amatur ob bonitatem honestam, sive ob convenientiam ad naturam sensitivam, sive ob delectationem, sive aliam utilitatem. Sed hoc imprimis non dicitur, consequenter juxta sen-

tentiam citatam, nam ut in argumentis propositis vidimus, ipsa res, quæ est medium, et utilitas ejus, ut sic, distinguitur ab utilitate medii, et amore ejus ut sic; deinde, ut supra, tractatu primo, docui, utilitas, ut sic non facit rem amabilem, nisi supponat amatam rem, ad quam est utilitas: utilitas enim, in genere loquendo, nihil est aliud, quam virtus ad causandum aliquo modo effectum: unde non habet rationem convenientis, aut disconvenientis, nisi quatenus effectus ipse conveniens, vel disconveniens est: ergo in medio utili, ut sic, tota ratio convenientiæ in ordine ad appetentem sumitur ex fine: ergo amare utilitatem medii, et amare illud ob finem, non sunt duo, sed unum et idem.

7. Secunda ratio, quæ ex D. Thomæ, et ex dictis, in citatis locis, sumitur, est quia medium, ut medium, et finis comparatur, ut materiale et formale; sed in voluntate idem est indivisibilis motus, quo tendit in materiale, et formale objectum: ergo in actu electionis puræ, eadem est indivisibilis ratio, et specifica differentia, propter quem attingit rem, quæ est medium, ut materiam et finem, propter quem eligitur, ut formalem rationem objecti: est ergo una species bonitatis inde sumpta prima, et substantialis in tali actu, Majorem propositionem sæpe, et expresse docet D. Thomas jam citatus, ut constat ex dictis in ratione prima, quia tota ratio convenientiæ, et appetibilitas medii, est bonitas finis. Minor propositio late probata est supra, disp. 4, tractando de bonitate ex objecto, nam rationes ibi factæ de objecto materiali, et bonitate ipsi intrinseca, eadem proportionem applicari possunt ad medium et finem, nam in actibus intellectus, et voluntatis nihil refert, quod formalis ratio objecti in re ipsa sit extrinseca materiæ, circa quam versatur actus, dummodo ab ipsa potentia non attingatur nisi sub ea ratione: nam hoc satis est, ut inde sumat suam primam speciem, ut petet de intellectu in actibus fidei, in quibus testimonium dicentis satis extrinsecum est veritati creditæ, et tamen respectu assensus intellectus, est quasi forma specifica, et idem est in actibus voluntatis, ut patet de amore proximi propter bonitatem Dei, et de voluntate adorandi adorationem respectiva propter extrinsecam excellentiam, idem est ergo de medio et fine.

8. Unde possumus tertio argumentari discurrendo per singulos modos, quibus contraria opinio asseritur, et improbando illos: sed quia hoc late egimus tractando de objecto,

disp. 4, non oportebit eadem repetere, sed unusquisque poterit ea applicare, solum declaratur breviter. Nam hæc specificatio, et bonitas electionis ex fine non potest consistere in sola denominatione extrinseca: nam ipsamet electio per se ipsam est intrinsece electio, et non per denominationem ab alio actu: ergo intrinsece in sua entitate includit aliquem respectum ad finem, præsertim cum ostensum sit respicere illum, ut formale objectum. Neque etiam intelligi potest hæc specificatio, ut partialis entitas, vel realis modus additus alicui alteri entitati, quia nulla fingi valet entitas, quæ supponatur in illo actu ante relationem ad finem, quia ostensum est, illum actum nullum habere respectum ad medium electum sistendo in illo, sed solum sub ratione finis: quidquid autem in illo actu excogitari potest necessario dicitur habitudinem ad medium electum: ergo et ad finem.

9. *Ad primum argumentum in n. 1.*—Ultimo sumi potest hæc veritas ex Aristotele, nam electio ob honestatem alicujus finis est actus elicitus a virtute respiciente illum finem; ergo pertinet ad talem virtutem, seu bonitatem. Antecedens constat ex lib. 6, Ethicorum, cap. 2, et lib. 2, Ethicorum ad Eudemum, circa finem, et declaratur, nam qui ex solo affectu misericordiæ, et nullo ex alio motivo lucratur divitias, ut eleemosynam faciat ex vi solius virtutis misericordiæ, habet tam voluntatem dandi eleemosynam, quam voluntatem lucrandi divitias: utraque ergo voluntas est actus elicitus ab illa virtute; neque fingi potest quis alius habitus ibi concurrat ad eliciendum posteriorem actum; dici enim non potest ibi concurrere habitum, quo amantur divitiæ absolute, et propter se, quia nullus talis affectus est in homine sic operante. Prima vero consequentia constat ex differentia inter actum elicitum a virtute, et imperatum, nam elicitus dicitur, quia secundum substantiam, et entitatem suam fit a virtute: imperatus vero qui ab una virtute refertur in suum finem, cum tamen ab alia substantialiter fiat, ut magis ex sequentibus dubiis constabit.

10. *Ad secundum argumentum in num. 2.*—Ad primam rationem in contrarium respondetur respectu electionis, de qua agimus: objectum formale non distingui a fine: materiam autem circa quam versatur actus, distingui ab eo, sicut objectum materiale a formali, et ideo non oportet, ut a tali objecto sumatur aliqua species prior illa, quæ sumitur a fine. Unde licet hujusmodi finis possit esse extrinsecus

tali materiæ, vel actioni exteriori, tamen respectu actus interioris electionis, est intrinsecus, ut recte D. Thomas dixit, quia est objectum formale: quapropter species inde sumpta invariabilis est in tali actu electionis: nam licet voluntati lucrandi divitias accidentarium sit, quod fiat propter eleemosynam, vel propter captandum honorem, et ideo possit voluntas nostra ab uno actu in alium mutari, tamen illi speciali actui, quo amantur divitiæ præcise propter eleemosynam, non accidit ille finis, neque species misericordiæ, unde non potest illemet actus mutari, et fieri ex alio motivo: sed quando voluntas hoc modo mutatur, variat totum actum.

11. *Ad tertium argumentum in num. 3.*—Ad secundam respondetur, formaliter loquendo, doctrinam datam procedere semper in omni vera, et pura electione, sive materia circa quam versatur sit indifferens, sive honesta propria aliqua honestate, quæ est objectiva respectu illius; nam si illa non intendatur formaliter, sed tantum eligatur realiter propter finem extrinsecum, electio habebit unam tantum speciem essentialem ex fine; si autem medium ex se honestum amatur propter propriam honestatem, et præterea ordinetur in ulteriorem finem, tunc ille actus non est propria electio, de qua agimus, et ideo non est de illo similis ratio: quid autem de illo dicendum sit, aperiam dubio sequenti, ubi priorem partem hujus solutionis magis declarabimus.

12. Ad tertiam de habitu inter finem et media, respondetur tollendam esse æquivocationem de intentione: nam intentio proprie dici solet actus determinatus ad finem, ut ad objectum, quod per se primo amatur in ordine ad consecutionem; unde fit, ut in virtute, vel in confuso includat aliquo modo media, ut volita, quatenus necessaria esse possunt ad consequendum finem, nam qui efficaciter vult finem consequi, ibi implicite vult adhibere media necessaria, et consequenter virtute etiam vult eligere illa: tamen ille actus, ut sic, non est electio, sed natura sua est prior illa, neque etiam accipit bonitatem, vel malitiam a medio, vel electione medii, ut supra latius, sed a bonitate finis, nam cætera, vel non pertinent proprie, et formaliter ad illum actum, vel eo modo quo pertinent, et tantum materialiter.

13. Alio vero modo sumi potest intentio prout includitur, seu participatur in electione ipsa, nam qui eligit medium propter finem, per illud medium tendit in finem, et hac ratione dici potest per illummet actum aliquo